

Romæ Imperialem coronam turpissima pactione ab Innocentio accepit. Paucos autem ibi moratus dies, quasi venaturus ex Vrbe elapsus, Mediolanum peruenit, vbi Vicecomitibus perpetuum imperii vicariatam aurea bulla confirmauit. Dehinc iussu Pontificis, perniciosam & superstiosam flagellatorum sectam, quæ totam penè Alemariam penetrauerat, armata manu eiecit. Ebrardum Vircenbergensem Comitem ingenti exercitu oppressit. Bohemicarum rerum in primis studiosus fuit. Pragam Metropolim longè ampliorem reddidit, & propugnaculis muniuit: Pragensem Ecclesiam crexit, publicum Gymnasium instituit, Multa collegia Canonorum & Monasteria fundauit, Regnum paternum maximè dilatare conatus est. Ob id Marchionatum Brandenburgensem, Lusatia, item Ducatum Slesia, Bauaria, cum multis aliis Dominiis partim emptione, partim bello, & aliis artibus pro regno Bohemico obtinuit. Filium suum Venceslaum Regem Rom. assensu principum designauit. Altero deinde anno valetudine aduersa correptus, obiit, ac Pragis à filio honorificè sepultus, cum annis xxxiii. Imperio præfuisset, Princeps quidem clarus, nisi maiorem regni sui Bohemici, quàm Imperii rationem & curam habuisset.

ELIZABETH Ducissa Stetinensis, prima Caroli vxor, quæ prolem habuisse fertur.

AGNES filia Rodolphi iunioris Rheni Palatini, filia Rodolphi senioris, secunda Caroli vxor, sterilis & infœcunda fuit.

BLANCA Comitissa Valesii in Francia filia Caroli Comitis Valesii, & soror Philippi de Valesio, post Regis Francia Caroli vxor tertia.

ANNA, quæ ab aliis Ioanna appellatur, quarta fuit vxor Caroli, eique Venceslaum & Sigismundum filios peperit.